



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 20. Alius reconciliationis modus Noaillo Cardinali propositus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

§. XX.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.*Alius reconciliationis modus Noailio
Cardinali propositus.*

Interim etiam hi, qui Cardinalis Noailii partes studiosas sequebantur, majoris mali metu territi nullum non movebant lapidem, ut hunc Purpuratum Sacræ Sedi reconciliarent, prosperum sui conatus successum sibi firmiter polliciti sub tanto Pontifice, cujus bonitas, sapientia, sanctitas, & cælitus communicata dona ad emolliendam omnem humani cordis durtiem apta, nataque videbantur. Præprimis igitur P. Girardus Congregationis Oratorii Sacerdos tum Romæ agens, die vigesima sexta Julii datis literis Noailio Cardinali auctor exstitit, ut cum solo Cardinale Coscia, qui summo Pontifici percharus esset, deinceps ageret, eo magis, quod hic jamjam declarasset, se lubenter hac in re arbitri partes acturum, dummodo res fidei silentio premeretur, & conditiones, quæ honeste offerri, & decenter a Papa admitti possent, proponerentur: postea P. Girardus descendit ad conditiones, quibus adimpletis huic controversiæ absdubio finem esse imponendum spondebat. Ex his erat Prima:

H 4

ut

Sæc. XVIII. ut Cardinalis Noaillius Constitutionem
A. C. 1725. *cum debita & omnimoda obedientia reci-*
 peret. II. Ut huic acceptationi fidei
 professionem adjungeret, eamque sanctæ
 Sedis judicio subjiceret. III. Ut ad
 Pontificem literas perscriberet, unacum
 acclusa hac acceptatione, fideique pro-
 fessione. IV. Ut Pontifex rogaretur,
 ut dictam professionem approbaret, &
 quidem iisdem ferme verbis, quæ Bo-
 nifacius II. ad S. Cæsarium Arelaten-
 sem Archiepiscopum perscripserat: *Fra-*
ternitatem tuam habita collatione cum qui-
busdam (Cardinalibus) juxta fidem gau-
demus sensisse Catholicam . . . quapropter
affectu congruo salutantes, superscriptam
confessionem vestram consentaneam Catho-
licis Patrum Regulis approbamus. V. Ut
 recepto hoc Pontificis Brevi Noaillius
 mandatum ederet, cui præfatam ejus
 acceptationem & fidei suæ declaratio-
 nem infereret. VI. Ut hujus Mandati
 formulam, a S. Congregatione exami-
 nandam, Romam mitteret. VII. Ut
 rogaretur Pontifex, ne hac super re
 alios Cardinales, præter Pauluccium,
 Pipiam, Polignacum & Cosciam in con-
 siliium adhiberet. Expositis hisce con-
 ditionibus Girardus in sua epistola Noail-
 lio innuit, hunc conciliandi modum
 Isoldio Cosciæ Cardinalis Auditori plu-
 rimum arrisisse, eumque fecisse spem,
 non

non modo Cosciam, sed & Pontificem
 has condiciones ratas habituros: Pla-
 cuere etiam Noaillio omnes hæ leges,
 excepta conditione *de omnimoda obe-*
dientia.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

§. XXI.

*Quædam S. Congregationis decreta
 ad Noaillium Cardinalem
 transmissa.*

Sub idem tempus Cardinalis Poligna-
 cus Roma Parisios ad Cardinalem
 Noaillium transmisit S. Congregationis
 Inquisitionis Romanæ decretum, vi-
 cujus hoc anno die decima tertia Fe-
 bruarii ad Indicem librorum prohibito-
 rum rejecta fuit septem Episcoporum
 Appellantium epistola ad Franciæ Re-
 gem contra Epistolam Pastoralem Bissii
 Cardinalis, eoquod *illa propositiones Er-*
roneas, hæresin sapientes contineret & se-
cundum se tota esset schismatica. Insu-
 per *rationum expositio Montpessulani*
 Episcopi contra Senatus edictum Anno
 1723. die 11. Martii, *Epistola Pastoralis*
 ejusdem Episcopi ad suæ Diæcesis Cle-
 rum circa Formularium Anno 1724. &
Epistola Dugueti ad eundem Episcopum
 die 25. Julii 1724. prohibebantur, *uti*
continentes Propositiones temerarias, Sedi
Apostolicæ injuriosas, & secundum se
 H 5 *totas*

Index #br.
proh. p. 103.
& 155.